



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

351. Novissima Christi apparitio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

MEDITATIO CCCL.

Christus aperit discipulis suis sensum ad intelligendas Scripturas.

I. **D**ixit Iesus ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moyse, & Prophetis, & Psalmis de me. *LUC. 24. V. 44.*

II. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis : Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die : & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. *LUC. 24. Vers. 45. 46. 47.*

III. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *LUC. 24. V. 48. & 49.*

MEDITATIO CCCLI.

Novissima Christi apparitio.

I. **N**ovissimè recumbentibus illis undecim apparuit : & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis ; quia

ijs,

CHRISTI REDIVIVI. 328

ijs, qui viderant eum resurrexisse, non cre-
diderunt, *Marc. 16. v. 14.*

I. Et dixit eis: Euntes in mundum uni-
versum, prædicate Evangelium omni crea-
turæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit,
salvus erit: qui verò non crediderit, conde-
mnabitur. *Marc. 16. v. 15. & 16.*

II. Signa autem eos, qui crediderint,
hæc sequentur: In nomine meo dæmonia
ejicient: linguis loquentur novis: serpentes
tollent: & si mortiferum quid biberint, non
eis nocebit: super ægros manus imponent,
& bene habebunt. *Marc. 16. v. 17. & 18.*

MEDITATIO CCCLII.

*Gloriosissima Christi in cælum
Ascensio.*

I. **E**T Dominus quidem Iesus postquam
locutus est eis, *Marc. 16. v. 19.* eduxit
eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus
suis benedixit eis. *Luc. 24. v. 50.*

II. Et factum est, dum benediceret illis,
recessit ab eis, & ferebatur in cælum. *Luc.
24. v. 51.* Assumptus est in cælum, & sedet
à dextris Dei. *Marc. 16. v. 19.*

III. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ie-
rusalem cum gaudio magno: & erant sem-
per in templo, laudantes & benedicentes